H. Sauters Formosa-Ausbeute. Chalcididae (Hym.).

Von L. Masi, Genua.

(Mit 18 Abbildungen).

II. TEIL.

(Fortsetzung von Bd. V, 1926, Heft 1—4).

Subf. **Leucospidinae.**

Gen. **Leucospis** Fabr.

1. ***Leucospis japonica*** Walk. var. ***formosana*** Strand, Wiener entom. Zeitung, XXX, 1911, p. 98.

Specimina 20 ♀♀, 34 ♂♂. Kosempo, Anping.

♀. Nigra, flavo-picta, flagello toto nigro, capitis pubescentia grisea, macula parva ferruginea, incerte limitata, ad medium marginem inferiorem metapleurae, alis brunneo-flavescentibus. Partes flavae: scapus; collaris fascia marginalis anterior, cuius extremitates retrorsum usque ad medium latus productae apicem acutum formant; fascia prope collaris marginem posteriorem, latera vix attingens; mesonoti vitta juxta tegulas; scutelli pars dimidia postica; macula in angulo anteriore mesosterni; maculae duae magnae quadrangulares in tergito abdominali primo, zona lata prope marginem tergiti partem latiorem abdominis includentis, maculae duae aliae, apicales, parvae, lunatae; pedes anteriores exceptis femorum dimidio basali, tibiae anticae latere externo, intermediae vitta apicali, quae partes plus minusve sunt infuscatae; coxarum posticarum latus dorsale; femur posticum praeter umbram fuscam basalem et maculam magnam nigram, quae superficiem exteriorem partim, latusque ventrale totum, occupat; tibia praeter latus anterius; tarsi omnes.

In speciminibus parvis vel mediocri statura saepe collaris limbus posticus brunneus-rufescens. Metapleurae macula in

speciminibus tribus maximis (15 *mm*) vittam format angulum dorsalem attingentem: his alae sunt violaceo-nitentes, tibiae posticae extus infuscatae. Unum specimen (15 *mm*) maculis lunatis in abdominis apice caret, pronotum undique flavo-fasciatum ostendit, maculamque scutelli, ad medium, antrorsum angulatim productam.

Caput antice visum triangulare, longitudine $^{66}/_{100}$ latitudinis aequans maximamque orbitarum distantiam paullo superans, genis valde convergentibus, margine orbitali in parte tertia superiore leniter concavo, scrobe antennali prope radiculas marginata, clypeo de utroque latere denticuli mediani in lobum convexum producto.

Funiculi articulus primus basi constrictus, secundo aequilongus, hic latitudine sua sesquilongior, sequentes sensim at




Fig. 1. *Leucospis japonica* var. *formosana*.
a caput, b femur posticum cum tibia, c dentes femorales alio specimini pertinentes.

parum crassiores, 3.—6. aequilongi, vix quam secundus breviores, 7. et 8. quadrati; clava brevis.

Pronotum juxta marginem posticum carina instructum satis elevata, nitidula, latera vix attingente, in uno tantum specimine, statura maxima, lineolam brevem ostendens carinam anteriorem indicantem; superficie tota item atque scuti dimidium anterius confertim punctata. Scuti dimidium posterius atque scutellum punctis vix maioribus insculpta. Dorsellum latum, obtuse triangulare, apice retuso, foveolis uniseriatis contiguis excavatum, juxta marginem basalem punctulatum. Metanotum breve, minute granulosum. Mesosterni dimidium inferius sericeum; metapleura punctis quam scutelli maioribus impressa.

Coxae posticae, de latere inspectae, margine dorsali pone medium arcuato, superficie exteriore dense punctulata, superne tamen punctis minus confertis, at maioribus, impressa. Femur posticum ovatum, latitudine duplo longius, juxta dentem anteriorem et in $^1/_3$ longitudinis latissimum; denticulis circa duodecim instructum, quorum sex primi triangulares, spatio inter se remoti eorum altitudinem aequante, reliqui viciniores, tres ultimi interdum minimi, fere contigui. Tibia robusta, femori aequilonga, mucrone apicali destituta et ungue brevissimo tantum armata, margine distali extus in dimidio anteriore setis instructo 8—9, rigidis, elongate triangularibus, acuminatis.

Abdomen de latere visum dorso recto, tergiti quarti margine postico obliquo; superne inspectum quater latitudine longius, latitudine maxima pone $^2/_3$ longitudinis, thoracem aequante. Superficies item atque scutellum crasse punctata. Terebra scutelli medium attingens, rarissime superans.

Long. 8,5–15 *mm*.

♂. Differt coxis posticis etiam in latere ventrali prope trochanterem flavolineatis; abdomine, praeter maculas segmenti basalis, amplitudine varias, fasciis duabus luteis ornato, altera mox pone medium, altera non longe ab apice, maculaque apicali parva; interdum tergito primo antice rufescente; metanoto magis quam in femina elongato, $^2/_3$ scutelli longitudinis aequante, carina media et lateralibus instructo, his ultimis aream trapezoidalem aequaliter granulosam includentibus; segmento primo abdominali dimidium thoracis latitudinis vix aequante, parte reliqua ovata quam thorace parum angustiore.




Fig. 2. *Leucospis japonica* var. *formosana*. a antenna ♀, b idem ♂, c tibia posticae apex, d scutelli apex, metanoti et tergiti primi partes centrales.

Adn. Specimina quae examinavi, cum descriptione conveniunt varietatis quam E. Strand ex duobus exemplaribus, a Sauter etiam in Insula Formosa (Taihanroku) collectis, instituit et var. *formosanam* appellavit: etsi terebra non marginem anteriorem scutelli sed dimidium tantum attingente, tarsisque nunquam rufescentibus, omnia differant. Qui vero sint characteres formae typicae attribuendi, ne quidem ex accurata descriptione Schlettereri[1]) satis constat. Hic auctor, itemque Walker[2]), terebram scutelli apicem attingere confirmant.

2. ***Leucospis gonogastra*** sp. n.

Specimina 2 ♀♀. Kankau, VIII. 1912.

♀. Nigra, flavo-picta, flagello castaneo, apice castaneo-rufo, capitis pubescentia alba, mucrone tibiae posticae pallido, alis flavo-brunneis, costa apiceque obscurioribus, dorselli areola media fundo ferrugineo. Specimen unum punctis duobus etiam ferrugineis ad medium scuti notatum, maculisque duabus eiusdem coloris, submedianis, in segmento primo abdominali. Partes flavae: scapus; collaris fascia marginalis anterior, extremitatibus retrorsum brevi spatio productis; fascia marginalis posterior latus utrumque non attingens; mesonoti vitta prope tegulas; scutelli macula transversa subapicalis; macula super metapleuram, minus distincta; abdominis tergitum transverso-lineare partem inflatam antice limitans; zona latiuscula non longe a margine postico tergiti hanc partem includentis; vittae apicales juxta terebrae sulcum; pedes anteriores, exceptis coxis, dimidioque femorum basali, nigris, tibiarumque parte laterali postica flavo-brunnea; coxae posticae in parte dimidia anteriore marginis dorsalis, in margine laterali prope trochanterem; femur posticum in eius parte superiore usque ad apicem, in anteriore usque ad dentem primum, tibiaque praeter latus anterius infuscatum; tarsus posticus totus.




Fig. 3. *Leucospis gonogastra* ♀. a caput, b flagellum.

[1]) Berlin. entom. Zeitschr., XXXV, 1890, p. 193.

[2]) Notes on Chalcidiae, IV, 1871, p. 56.

Caput transversum, antice visum longitudine $^{73}/_{100}$ latitudinis aequans maximamque orbitarum distantiam vix superans, genis valde convergentibus, orbitarum margine anteriore supra medium late concavo-sinuato; ocellis fere in lineam dispositis; faciei superficie minutissime punctulata, hac sculptura pubescentia abscondita; vertice minute alveolato-punctato, foveolis quam pronoti parum minoribus; epistomate tuberculo parvo instructo, a clypeo non discreto; clypei margine obtuse dentato, partibus lateralibus leniter sinuatis.

Pedicellus brevis, globosus; funiculi articulus primus basi constrictus, quam 2. paullo brevior, hic latitudine $^{3}/_{4}$ longitudinis suae attingens, sequentes sensim curtantes atque crassiores, ultimus tamen paullum longitudine latior; clava brevis.




Fig. 4. *Leucospis gonogastra* ♀. a femur posticum cum tibia, b apex tibiae posticae, c dorsellum cum partibus adjacentibus.

Pronotum juxta marginem posticum carina sat elevata, nitidula, instructum, in uno specimine etiam lineola brevi, transversa, carinam anteriorem indicante; superficie tota item atque scuti parte postica et scutello crasse denseque punctata. Foveolae super scutum antrorsum sensim minutiores, juxta scutelli marginem apicalem subquadratae, in seriem dispositae. Dorsellum lunatum, lineis elevatis in areas quatuor divisum, quarum una anterior late trapezoidalis, scabra, reliquae hanc includentes et zonam formantes rectangulares, leniter concavae. Metanotum sat longum, carina media quam scutello breviore, carinis lateralibus obliquis paullum magis elevatis et duplo longioribus, instructum, area his ultimis limitata trapezoidali, latere postico abdominis basi subaequilongo, superficie dense atque minute punctata, foveolis prope carinas laterales magis conspicuis, rugis quibusdam brevissimis ex carinis lateralibus orientibus. Mesothoracis latera ac metapleura foveolis insculpta quam scutelli nonnihil maioribus.

Pedes postici coxae latere dorsali leniter curvato, post $^2/_3$ longitudinis abrupte declivi, superficie exteriore superne dense punctulata, inferius ad marginem lateralem punctis minus confertis impressa; femoris latitudine mediocri, in linea dentis anterioris $^5/_9$ longitudinis aequante, margine ventrali paullum post eius dimidium, id est inter dentem sextum et septimum, angulum valde obtusum formante, dentibus duodecim instructo, primo maiori, apice rotundato, sequentibus quinque parvis, irregularibus, nec propinquis, sex reliquis usque ad articulationem tibialem in lineam dispositis, forma regulari, gradatim minoribus at bene conspicuis; tibia robusta, versus apicem sensim crassiore, ibique duplo quam basi latiore, mucrone computato femori aequilonga, margine distali extus, in parte dimidia anteriore, setis sex instructo elongate triangularibus, acuminatis, mucroneque basi bene distincto, acuto, dimidium marginis apicalis aequante.

Abdomen, de latere inspectum, dorso ad medium angulato, pone tergitum basale depressum, tergiti quarti margine postico verticali; superne visum, pone segmentum basale inflatum, latitudine ad $^3/_5$ longitudinis, thoracem aequante. Tergitum primum paullum scutello angustius, lateribus subparallelis, dorso tereti vel obtusissime angulato; tergitum 4., partem inflatam formans, crasse ac dense, sicut scutellum ac tergita ultima, punctatum, terebrae sulco marginem anteriorem non attingente. Terebra ad mediam abdominis longitudinem desinens.

Long. 8 *mm*.

Adn. Species abdominis forma, nec non corporis colore, *Leucospidi biguetinae* Jur. similis, at multis characteribus bene distincta.

Subf. **Chalcidinae.**
Tribus **Haltichellini.**
Gen. **Hockeria** Walk.

Hockeria pulchella sp. n.

Specimen unicum ♀, Kankau, VIII. 1912.

♀. Nigra, scapo pedibusque fere totis castaneo-fuscis, his partibus ochraceo-flavis: tegulis, coxis intermediis praeter latus anterius nigricans, trochanteribus omnibus, femoribus secundi paris in eorum parte subtiliore, tarsis anticis mediisque. Femur posticum flavescens, tarsus, cum tibiae apice, obscure testaceo-

rufus. Proalae usque ad praestigma hyalinae, in parte apicali griseae, in spatio reliquo fuscae, nervis obscuris, maculis duabus rotundatis, albidis, altera nervum stigmaticum tangente, altera angulo posteriori contigua.

Caput prothorace latius proportione 130 : 100, antice inspectum longitudine $^{77}/_{100}$ latitudinis, oculis prominulis, fere omnino glabris, genis longiusculis, linea oculari inferiore $^{31}/_{100}$ longitudinis a margine clypei remota; a latere visum diametro transverso $^{57}/_{100}$ longitudinis aequante; facie plana; lobo torulis interposito parvo at conspicue prominente; orbita paullum latitudine sua longiore; carina genali subtilissima, vix conspicua, prope oculum obliterata; tempore atque gena latiusculis, marginibus posterioribus in angulo obtuso connexis.

Antennarum scapus rectus, tenuis, ocellum vix attingens; pedicellus conicus, bis longior quam apice latior, funiculi articulo primo aequilongus; annellus quadratus; funiculus sensim at paullum ad apicem versus crassior, articulo ultimo quadrato, fere duplo quam primo latiore.

Thoracis dorsum foveolis contiguis, aequalibus, rotundatis, insculptum; scutellum aspectu quasi semiellipticum, tamen latitudine in linea axillarum vix quam longitudine minore (proportione 30 : 32), dorsulo convexo, limbo satis prominente, apice obtuse angulatim inciso. Dorsellum fovea media pentagonali-rotundata impressum, alveolis in utroque latere binis, interiore minimo, exteriore magno atque transverso. Metanotum costis medianis usque ad $^{1}/_{3}$ anteriorem leniter divergentibus, deinde modice convergentibus; alveolis juxta utramque costam medianam ternis, quorum anterior maior et quam distantia maxima costarum aliquantum latior, medius paullo minor; posterior angustus; costis sublateralibus utrique lateri parallelis; alveolis inter marginem anteriorem et costam sublateralem eiusdem lateris subaequalibus, biseriatis.

Proalarum cellula costalis latitudine longior proportione 6 : 100, setis per totam fere longitudinem biseriatis, in eius parte distali satis numerosis; cellula basali sparsim, longe, pubescente, at in latere postico, id est in parte basali nervi cubitalis, setis circa decem uniseriatis instructa; fimbria apicali brevissima; setis in disco confertis, minus attenuatis, secundum lineas sinuosas dispositis. Proportio longitudinis cellulae costalis,

nervi marginalis et postmarginalis sicut 100 : 29 : 5; nervus stigmaticus et postmarginalis aequilongi.

Pedes postici coxa robusta; femore elliptico, bis longiore quam latiore, superficie reticulata, latere ventrali ad medium in lobulum rotundatum prominente, post hunc convexo-arcuato; tibia crassa, in eius parte dimidia apicali $^{3}/_{8}$ femoris latitudinis aequante, latere dorsali ad medium fortius curvato; tarso quam tibia breviore, articulis tribus primis sensim paullumque curtantibus, quarto et quinto aequalibus.

Abdomen thoracis longitudine, superne visum bis longius quam latius, tergito basali medium attingente, hoc et secundo superne laevibus atque nitidis, tergito sexto minute reticulato, opaco.

Long. 3 *mm.*

Gen. **Hoozania** n.

Generis diagnosis. — Femina. Aspectus sicut in Antrocephalis. Caput, a latere visum, non in linea oculari inferiore coarctatum; fovea faciali ampla, inferius non limitata. Antennae pedicello brevi. Collare lateribus tantum marginatum; scutellum postice conspicue prominens, apice forcipato, id est mucronibus apicalibus introrsum atque deorsum curvatis; metanotum minus obliquum. Proalae cellula costali lata, nervis, cum praestigmate, crassiusculis, marginali brevi, postmarginali fere nullo, stigmatico quasi perpendiculari. Pedes postici femore haud robusto, latitudine multo minore quam longitudine, tibia crassa. Tarsi anteriores tenues. — Mas ignotus. Species genotypica *H. maculipennis.* Nomen ex loco Hoozan derivatum.

Hoozania maculipennis sp. n.

Specimen unicum ♀. Hoozan, II. 1910.

♀ — Nigra, pedibus rufis, alis dilute flavo-griseis, maculis flavo-fuscis ornatis. Lobus torulis interpositus, antennarum scapus, pedicellus et annellus, itemque clavae apex atque tegulae, pedibus concolores. Coxae posticae fere totae, femoraque postica ad medium, infuscata. Coxae anticae nigrae. Proalarum maculae ita dispositae: una sub nervo marginali, secundum lineam nervi spurii extrorsum producta, duae inter stigma et alae apicem, fascia pallida angusta longitudinali separatae; nervus marginalis et stigmaticus castanei.

Caput antice visum triangulare, longitudine latius proportione 84 : 100, oculis prominulis, glabris, linea oculari inferiore

$^{3}/_{10}$ longitudinis ab ore distante. Carinae praeorbitales in superiore parte leniter arcuatae. Fovea facialis inferne partim tantum terminata, id est costis duabus instructa valde obliquis parumque distinctis, ab utroque torulo versus oculum productis et longe ab orbita obliteratis. Fovea antennalis scapos excipiens minutissime reticulata, fere usque ad ocellum impressa. Foveolae inter carinas praeorbitales et foveam antennalem fere ubique 4. — vel 5. seriatae, inter ocellum anteriorem et carinam verticis uniseriatae. Forma capitis a latere inspecti ovata, latitudine $^{65}/_{100}$ longitudinis, inferne late truncata, in linea oculari haud constricta; orbita ampla, diametro transverso $^{3}/_{4}$ longitudinalis aequante, postice spatio brevi recte-marginata. Carina genalis nulla; lobus interantennalis conspicue prominens, semicircularis. Vertex, superne inspectus, ocellis posterioribus inter se spatio quadruplo, ab oculis spatio dimidio quam ipsorum diametro remotis.

Antennae scapo tenui, vix sinuato, parum in parte media angustiore, ibique crassitudine $^{1}/_{9}$ longitudinis aequante; flagello quam scapo longiore proportione 100 : 43; pedicello brevi pyriformi; annello aeque longo atque lato; funiculi articulo primo paullum latitudine sua longiore, ultimo fere quadrato; articulorum sensillis ordine duplice dispositis; clava quam articulo praecedente sesquilongiore. Mensurae: long. pedicelli 10, annelli 5, funiculi articuli primi 10, septimi 11, clavae 14; latitudo pedicelli 7, annelli 6, funiculi articuli primi 8, ultimi 10.




Fig. 5. *Hoozania maculipennis* ♀. Scutelli apex atque metanotum.

Prothorax superne visus lateribus leniter convergentibus, in medio dorso, juxta marginem posteriorem, tuberculo parvo, vix conspicuo, instructus; collari non nisi ad latera discreto et marginato. Scutellum latitudine longius, mucronibus apicalibus non computatis, proportione 19 : 22, lateribus modice incurvis et modice convergentibus; mucronibus conspicuis, inter sese spatio ipsorum longitudinem fere sesqui-superante remotis, apice introrsum atque deorsum curvato. Dorsellum fovea media bene distincta, hexagonali aequilatera, fundo verrucosa; alveolis nullis, excepta foveola singula triangulari in angulo anteriore externo impressa. Metanotum lateribus parce pubescentibus; eius fovea

media leniter excavata, in partem superiorem obovatam, quae $^1/_3$ longitudinis occupat, et inferiorem recte marginatam, marginibus aliquantum deorsum divergentibus, distincta, fundo toto inaequali, at costis transversis nullis. Spatium inter partem discalem metanoti et utramque aream spiracularem alveolis excavatum in serie duplice, interiore atque exteriore, dispositis: series autem exterior alveolo ultimo magis elevato et prominente. Mesosternum gradatim sursum angustatum, foveolis rotundatis, contiguis, sicut in mesopleurae parte posteriore, quarum circa duodecim juxta posteriorem marginem numerantur, quatuor in linea transversa ad mediam altitudinem, singula in extremo superiore. Mesopleurae pars antica tota concava, strigis transversis quindecim instructa, inferius costa verticali divisa, ante hanc costam alveolata, post eam laevis.




Fig. 6. *Hoozania maculipennis* ♀. a femur posticum cum tibia, b proalae nervi.

Proalae cellula costali non angustata, nervo marginali brevi, longitudine $^1/_5$ cellulae costalis non superante; nervo postmarginali fere inconspicuo, stigmatico quasi perpendiculari, $^1/_3$ longitudinis marginalis vix attingente; praestigmate crassiusculo; pilis laminae satis frequentibus, pilis fimbriae ceteris aequilongis.

Pedum anticorum mensurae: femoris longitudo 60, latitudo 16, tibiae long. 55, lat. 13, articuli tarsales long. 20, 13, 11, 10, 11, sine praetarso. Pedes postici femore latitudine longiore proportione 5 : 2, superficie minute at satis dense punctulata, latere dorsali modice arcuato, ventrali ad $^2/_7$ longitudinis obtuse prominente, in parte $^1/_3$ posteriore arcuatim convexo, in spatio medio concavo; tibia crassa, sensim versus apicem latiore, latitudine $^1/_2$ femoris aequante, costa longitudinali lateris exterioris leniter sinuata, item atque costa lateris interioris bene conspicua; tarso satis robusto, articulo primo et ultimo subaequalibus.

Abdomen thorace vix longius, angustum, latitudine maxima $^2/_5$ longitudinis et $^{73}/_{100}$ thoracis latitudinis aequante; superne

visum forma quasi elongate rhomboidali, a latere inspectum fere eadem forma, sed apice minus attenuato. Tergitum primum dimidiam longitudinem non attingens, tergita 2.—5. brevia, 6. et 7. in linea media dorsali aequilonga. Sculptura reticulata partis dorsalis tergitorum in segmento 3. incipiens. Foveolae piliferae tergiti sexti 4—5 in linea longitudinali, leniter excavatae, inter sese spatio remotae ipsarum diametrum paullum superante. Foveolae tergiti 7. profundae, fere contiguae, interstitiis separatae sicut in tergito praecedente reticulatis, sed areolis aliquantum minoribus. Pili ad latera tergitorum 3.—6. crassiusculi, frequentes et quasi fasciculati, flavo-albidi; ceteri tenues. Terebrae valvae modice prominentes, apice confertim punctulato. Sternita 1.—4. minutissime reticulata (amplificatione circiter 50 diam.) punctis piliferis paucis sparsis; sternitum 5. laeve, ad $^{21}/_{32}$ abdominis longitudinis desinens.

Long. 5 *mm.*

Gen. **Antrocephalus** Kirby.

1. ***Antrocephalus momius*** sp. n.

Specimina: 14 ♀♀, 9 ♂♂, Kankau IV.—VII. 1912, Taihorinsho X.—XI, etc.

♀ — Nigra, his partibus testaceo-rubris: pedicello, annello, lobo compresso torulis interposito, tegulis pedibusque fere totis; coxis anterioribus, coxis posticis in latere dorsali et in latere interiore, denticulisque femorum posticorum, nigris; tarsis anterioribus testaceis; pilis albis; alis dilute flavo-griseis, anterioribus magis inter stigma et apicem grisescentibus, nervo marginali, postmarginali et stigmatico castaneis, spatio autem parvo infra nervum marginalem etiam castaneo, at minus quam nervis obscuro.

Caput antice visum paullum longitudine latius, proportione 86 : 100; linea oculari inferiore a margine clypei $^{1}/_{4}$ totius longitudinis remota; fovea faciali inferius haud marginata; a latere inspectum fortiter infra orbitam constrictum, diametro transverso $^{37}/_{100}$ longitudinis; spatio malari amplo, inferne late truncato, item atque tempore distincte limbato; carina infra torulum incipiente valde oblique sursum producta inque eadem linea atque margine oculari infero-posteriore decurrente, in parte $^{1}/_{3}$ superiore obliterata. Ocelli laterales spatio ab oculis remoti dimidium ipsorum diametri maioris aequante.

Antennae articulis distinctis 11, scapo recto, in parte dimidia apicali leniter angustato; flagello duplam scapi longitudinem paullo superante, capite longiore proportione 152 : 100; annello quam articulo sequente dimidio breviore, paullumque latitudine sua longiore; funiculi articulis sensim brevioribus et crassioribus, tertio pedicello aequilongo, ultimo quadrato; clava omnino solida, articulos duos praecedentes paullum superante. Mensurae: long. scapi 72, pedicelli 16, annelli 9, funiculi articuli primi 18, ultimi 11, clavae 25; latitudo pedicelli 7, annelli 6, funiculi articuli ultimi 12.

Thoracis dorsum nitidulum, profunde punctatum, punctis scuti minus confertis et sensim retrorsum maioribus, ultimis illis




Fig. 7. *Antrocephalus momius.*
a antenna ♀, b caput a latere, c pars metanoti, d femur posticum cum tibia, e antenna ♂.

scutelli aequalibus; interstitiis in mesonoto dimidium punctorum diametrum non superantibus. Collare in medio dorso angustum, marginibus tamen anteriore atque posteriore haud contiguis; anteriore foveola rhombica, leniter impressa et plus minusve distincta, interrupto. Scutellum paullum latitudine longius, marginibus in parte $^1/_3$ media rectis parallelisque, deinde quasi recto-linearibus et versus apicem convergentibus, lobis apicalibus maiusculis, contiguis, angulum rectum includentibus; dorsulo tereti, in parte dimidia postica vestigio sulci mediani longitudinalis. Dorsellum altitudine $^2/_3$ latitudinis, fovea media cordiformi et foveis duabus, metanoto contiguis, fundo scabris; alveolis in utroque latere foveae mediae binis, angustis. Metanotum in utroque latere eminentia parva trapezoidali instructum; costis medianis rectis atque parallelis, foveam linearem limitantibus,

costis sublateralibus valde obliquis, bene conspicuis; in utroque latere foveae mediae areola singula, plus minusve distincta, quasi semicirculum fingente, non ultra dimidium anterius costarum mediarum extensa; inter utramque areolam et foveam spiracularem alveolo parvo, rhomboidali, superficie tota scabra. Mesosternum lateribus in parte dimidia superiore parallelis, superficie foveolis quadriseriatis, superius triseriatis, impressa. Mesopleurae costae transversae plus quam viginti. Pronoti epipleura fere quadrangularis, superne margine crasso limitata, superficie minute punctata-reticulata.

Proalae nervo marginali et stigmatico crassis, postmarginali longitudinem marginalis superante et dimidio angustiore; setis in superficie dorsali fere tota robustis et apice acutis. Proportio cellulae costalis, nervi marginalis et postmarginalis sicut 95 : 25 : 30.

Pedes postici coxa valde robusta, tumescente, inermi, id est dente lateris dorsalis interioris nullo; femore vix ad medium latiore, maxima eius latitudine dimidium longitudinis aequante, latere ventrali pone angulum anteriorem abtusum, nec conspicue prominentem, leniter sinuato, superficie, microscopio inspecta, conspicue et confertim punctulata; tibia valde robusta, crassitudine $^{42}/_{100}$ femoris latitudinis aequante, apice in dentem acutum subcurvatum producto; tarso crasso, articulo quarto parum abbreviato.

Abdomen vix thorace longius, ovato-conicum, supra minus convexum, nitidum, tergitis 2. atque 3. superne subaequilongis, 4. et 5. parum brevioribus, 6. quam praecedente sesquilongiore et ultimo aequilongo; tergito primo plicis longitudinalibus medianis juxta petioli articulationem bene conspicuis, retrorsum abrupte terminatis, spatio inter se remotis ipsarum longitudinem aequante; tergito secundo areis lateralibus superioribus, 3.—5. lateribus totis usque ad marginem ventralem (excepta zona basali angusta) confertim punctulatis; tergito 6. usque ad $^{2}/_{3}$ foveolis piliferis contiguis impresso, quarum plerumque sex in linea longitudinali numerantur.

Long. 5—6,5 *mm*.

♂ — Antennis totis nigris; foveola in parte media collaris bene distincta et marginem posteriorem pronoti attingente; lobo torulis interposito minus prominente, antice non rotundato; flagello, deorsum atque retrorsum flexo, non ultra medium

coxarum posticarum producto; scapo ultra mediam longitudinem modice attenuato, latitudine maxima $^1/_5$ longitudinis; funiculi articulo primo $^7/_9$ scapi, latitudine sua ter longiore, quam septimo longiore proportione 3 : 5, hoc $^3/_4$ clavae longitudinis aequante; pedibus posticis minus quam in femina robustis, femore etiam minus lato, maxima latitudine $^{42}/_{100}$ longitudinis. Antennarum mensurae: longitudo scapi 45, pedicelli 7, annelli 1, funiculi art. primi 35, septimi 21, clavae 28; latitudo scapi in parte $^1/_3$ inf. 9, pedicelli 7, funiculi articuli primi 12, septimi 11.

Long. 4,5—5 *mm.*

Varietas — Genis subtiliter carinatis, pedum posticorum coxa nigra, femore usque ad $^2/_3$ etiam nigro. Specimen unicum, Kankau.

2. ***Antrocephalus sinicorum*** sp. n.

Specimina: 17 ♀♀, Kankau V.—VI. 1912, Kosempo VI., Hokuto III.; 14 ♂♂, Kankau VI.—VII.

♀ — Nigra, pedicello, annello, tegulis pedibusque testaceo-rubris; coxis anticis nigris, posticis superne immaculatis; proalis infra nervum marginalem distincte, in parte media metadisci dilute fusco-flavescentibus.

Fovea facialis inferne non nisi lineola curva limitata, quae ab inferiore parte toruli versus orbitam procedit eamque non attingit. Genarum carina vel abens, vel praesens, at tenuis.

Antennae illis speciei praecedentis similes. Mensurae: long. scapi 73, flagelli 152; long. pedicelli 18, annelli 11, funiculi articuli primi 18, septimi 12, clavae 25; latitudo pedicelli 8, funiculi art. primi 9, septimi 11.

Collare marginibus anteriore atque posteriore in medio dorso fere contiguis, ibique foveola impressum bene distincta, marginem posteriorem attingente et plerumque eminentia parva in utroque latere limitata. Mesonotum subtiliter sulcato-reticulatum. Scutellum lateribus in parte $^1/_3$ media parallelis, deinde versus apicem arcuatis, apice ipso late atque leniter angulatim inciso, at non distincte bilobato; dorsulo post mediam longitudinem vestigio sulci mediani impresso. Metanoti costae medianae neque rectolineares neque parallelae, at foveam anguste claviformem limitantes; eminentia utriusque lateris parva, truncata, basi haud lata sed altitudinem aequante.

Proportio nervi marginalis et postmarginalis sicut in specie praecedente = 25 : 30.

Femur posticum forma fere elliptica, parte media lateris ventralis non concavo-arcuata sed rectolineari, latitudine $^{55}/_{100}$ longitudinis, superficie, microscopio inspecta, minute, at distincte, reticulata-squamosa, potius quam punctulata.

Abdomen eisdem fere characteribus atque in specie praecedente.

Long. 5 *mm*.

♂ — Mas colore feminae similis, antennis totis nigris, interdum tegulis pedibusque anterioribus partim infuscatis; lobo torulis interposito minus prominente, non rotundato, flagello, deorsum atque retrorsum deflexo, coxas posticas paullisper superante, scapo in latere inferiore sat fortiter sinuato, post medium angustato, latitudine maxima $^1/_5$ longitudinis aequante; funiculi articulo primo scapo subaequilongo, latitudine sua longiore proportione 3 : 10 et bis quam septimo longiore; hoc quam clava fere sesquibreviore.

Antennarum mensurae: longitudo scapi 43, flagelli 240; long. pedicelli 7, annelli 1, funiculi articuli primi 41, septimi 20, clavae 35; latitudo scapi in parte $^1/_4$ inferiore 9, pedicelli 8, funiculi art. primi 12, septimi 11.

Obs. Species praecedenti similis, praecipue differens femore postico quasi elliptico, in latere ventrali recte-marginato neque concavo; scutello subinermi; statura media paullum minore; maris flagello coxas posticas aliquantum superante clavaque longiore. Varietates extant:

Var. a: antennis totis nigris.

Var. ß: genarum carina longitudinali bene distincta; funiculi articulo primo item atque annello et pedicello rufo.

Var.? Specimen unicum vidi, non aliter differens nisi scapo inferius conspicue dilatato, in parte dimidia apicali conspicue attenuato; flagello quoque versus apicem aliquantum magis tenui; antennarum colore omnino nigro; genis subtiliter carinatis. An potius subspecies?

(Fortsetzung folgt.)